

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XXIII. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

tremus : non quasi remissio nostra causa meritoria sit remissionis Dei. Nequaquam. Sed quia ita Deus ordinavit, ut hâc ratione fidem nostram probemus. Nostra igitur condonatio, quâ proximo remittimus, subordinata est remissioni, quâ Deus nobis peccata condonat, Matth. 6. v. 15. Jac. 2. v. 13.

Verùm hâc tanta virulentia plurimorum animos occupavit, ut vitam sibi acetabam putent, nisi animum vindictæ cupiditate cupidum exsaturent. At & ipsi gravissimè vindicabuntur, in stagno ardente Sulphure & igne, quæ est mors secunda, Apoc. 21. v. 8. Esa. 66. v. 24.

Veri igitur Christiani carnem suam crucifigant, cum desideriis & concupi-

scentiis, Gal. 5. v. 24. Deum sollicitè orantes, ut virtute sua infirmitatem suam perficiat, & cor lapideum auferat de carne suâ, detque cor carneum, Ezech. 36. v. 26.

Hoc si ita factum fuerit, non frustrâ fiet, promisit enim Christus Spiritum sanctum petentibus, Luc. 11. v. 13. hic ignem amoris in cordibus nostris accendet, nosque aliquando è mundo hoc rixoso transferet in domos pacis, Esa. 32. v. 17. ubi delectationes, Psal. 16. v. ult. imò pax & gaudium erit in æternum, Rom. 14. v. 17.

Princeps pacis Jesus Christus, eò nos transferre dignetur,  
Amen.

## DOMINICA XXIII. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 22. v. 15. -- 23.*

### EXORDIUM.

**C**Um Israëlita copiosè multiplicarentur in Ægypto, displicebat id novo Regi, ideoque consilium inibat cum populo suo, quomodo sapienter opprimeret filios Israël, Exod. 1. v. 9.

Quod Israelitis illo tempore accidit, tanquam membris spiritualis corporis, id & deindè in N. T. in Christo capite impletum est: hinc est, ut ad Messiam applicetur, quod Hoseas quoad literam de filiis Israel ait: Ex Ægypto vocavi filium meum, Os. 11. v. 4. Matth. 2. v. 15. ratione arctissimæ conjunctionis capitis, cum membris suis, vi cujus propediem sentit,

quid illis boni vel mali eveniat. Cujus exemplum perspicimus in Saulo, qui diplomatis Damascum proficiscebatur, ut si invenisset hujus viæ viros & mulieres, victos perduceret in Hierusalem; sed Dominus cœlitus eum compellabat: Saul, Saul, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare, Act. 9. v. 2.

Quod igitur in unâ parte congruit, id etiam è simili fundamento ad alia applicari potest, maxime quod attinet insidias, quas Pharaon ad opprimendos Israelitas cum suis excogitavit. Septuaginta Interpretes ita expresserunt: κατασφιζόμεθα αὐτὸς, astu circumveniamus eos. Primò enim obstetrici-

triticibus mandabar, ut omnes pueros Hebræorum in ipso partu occiderent. Hoc quia non succedebat, quia illæ Deum plus metuebant, quàm Regem, puerulos in aquas projicere ut catulos jubebat, & suffocari: hoc medio prohibiturus erat, ne nimium auferentur.

Ita & internalis Pharao Christum per satellites suos infestavit, dum Pharisei & Scribæ varias machinas excogitarunt, quibus Servatorem opprimerent. Imprimis in prælectâ Pericope audimus, quod Herodianus assumerint, dum ipsi insidiosam quæstionem de numismate census proponere voluerunt: eâ spe, ut si quicquam adversus Cæsarem loqueretur, ipsi causam haberent id deferendi, & per Ministros Herodis eum custodiæ mancipandi. Verùm ut de Israelitis dicitur: Quantò magis opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant: Ita & hostes Christi ipsum opprimere non potuerunt: sed quò magis ipsi adversati sunt, eò plus fama ejus increbuit, & ab omnibus maximi æstimatus fuit, donec ad dextram Dei resedit super omnem principatum, & potestatem, & virtutem &c. Eph. 1. v. 21.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

**B**ucephalus Philippi Regis Macedonia, neminem sibi insidieri passus est, nisi Alexandrum M. præptimis quando

Regis tapetibus ornatus erat. Homo, Vos mei! Jumento non dissimilis est, ut B. Lutherus autumat. Qui dum nullius regimen suscipere deberet, nisi Christi, & cum Davide orare: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Psal. 143. v. 10. Ecce, contrarium ille facit, conceditque ut peccatum regnet in mortali suo corpore, Rom. 6. v. 12. ut Dæmon infernalis regimen habeat: & sicut est homicida ab initio, Joh. 8. v. 44. ita & hominem instigat, ut astutè circumveniat proximum, quod si perficere potest, voluptate afficitur, dicens: Euge, euge, videntur oculi nostri, Psal. 70. v. 5.

Hoc valdè familiare est, maxime in hæc mundi senectâ, ubi Diabolus eò magis truculentiam suam exerit, quia scit, quod modicum tempus habeat, Apoc. 12. v. 12.

Querela respicit

1. *Insidias*, quas Pharisei & Scribæ Domino struxerunt. Abeuntes enim, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Ubi in Gr. est vox *παγιδίον*, quæ significat, tendiculis irrite aliquem, ut aves irretiri solent. Vide Eccl. 9. v. 12.

Hoc ingenium Diaboli est. Ubi enim violentia nihil efficere valet, velut serpens ditectus: ibi insidiis rem agit, velut serpens tortuosus, Esa. 27. v. 1. & se quandoque in Angelum lucis transfigurat, 2. Cor. 11. v. 14. unde & *ἄγγελος* auceps, ab Hieronymo appellatur, qui dienoctæque circumit, 1. Pet. 5. v. 8. & coràm quo gaudet mæror, Job. 41. v. 13.

Id ita ulterius in orbe à Ministris ejus continuatur, qui aucupium hoc ab ipso didicerunt, ut hinc multi pii conqueri cogantur: Venatione ceperunt me, quasi

999 § avem,

avem, inimici mei gratis, Thren. 3. v. 52.

Sic Elau persecutus est fratrem Jacobum, ut velut avicula solitaria in Mesopotamiam fugerit, Gen. 27. v. 43.

Sic de Sathle dicitur, quod persecutus fuerit Davidem, velut perdicem in montibus, 1. Sam. 26. v. 20.

Sic varias tendiculas Jesebel Eliæ struxit, ut vitæ ille pertæsus dixerit: Sufficit Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm patres mei, 1. Reg. 19. 4.

De B. Luthero sic scribit Palingenius:  
- - - Nunc summus parat arma Sa-  
cerdos,

Clemens, Martinum cupiens abolere  
Lutherum,

Atque ideò Hispanas retinet, nutritque  
cohortes,

Non disceptando, aut subtilibus Argu-  
mentis

Vincit, sed ferro mavult sua jura tueri.  
Consilium valeat, valeant commenta

Lutheri, (ra nugæ,  
Pontifices nunc bella juvant, sunt cæte-

Nec praecepta Patrum, nec Christi do-  
gmata curant.

Idem hodie tenus pii experiuntur, ut hostes  
ipsis acclament: ut moveant se in monti-  
bus sicut avis, Psal. 11. v. 1. quod si constans  
manet in fide pius, & tabernacula Domini  
diligat, ubi avicula invenit domum, & hi-  
rundo nidum sibi, ubi ponat pullos suos,  
Psal. 84. vers. 4. laqueum parant pedibus  
ejus, ut auceps, Psal. 57. v. 7. & ad eò perse-  
quuntur, ut ab unâ arbore in aliam fugiat,  
similis factus Pelicano solitudinis, Psalm.

102. v. 7.

Verùm hoc solatium nostrum, quòd  
duas alas habemus, alam nempe fidei &

orationis, quibus nos sursum elevamus, &  
omne periculum effugimus. His mediis  
utamur, licet ab adversariis nostris insontes  
infestemur, tempus gratiæ non negligentes,  
ut ciconia, grus & hirundo custodiunt  
tempus adventus sui, Jer. 8. v. 7. Sic Deus  
captivantes nostros capiet, Judic. 5. v. 12. &  
retia perumpet, ut lætabundi, exultare  
queamus: Gott Lob und Dank der  
nicht zugab / daß ihr Echlund uns möcht  
fangen &c.

II. *Blanditias.* Vocant namque Domi-  
num Magistrum suum, & hâc laude ornant  
eum, quod verax sit, & viam Dei in veri-  
tate doceat, quod non cura sit ipsi de ali-  
quo, nec respiciat personam hominum.  
Verùm in animo multò aliter sentiunt.

Quod Christum Rabbi, sive Magistrum  
vocant, in eo minimè aberrant, est enim  
unicus Magister, Matth. 23. v. 8. Confer  
Joh. 13. v. 13.

Licet autem Pharisæi non ex animo ita  
loquantur, sed phaleratis hujusmodi dictis  
eum circumventum eant, ut eò liberius  
ad quæstionem propositam respondeat,  
attamen nos in fide & vita fideliter ipsi ad-  
hærescere debemus. Est enim Doctor eru-  
ditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. qui docet nos uti-  
lia, Esa. 48. v. 17. & qui praecepta ejus ob-  
servat, inveniet gratiam & disciplinam bo-  
nam, coràm Deo & hominibus, Prcv.  
3. v. 4.

Sic non sincerè loquebantur, dum  
*παρρησιάζονται* ejus, quod non cura sit ipsi de  
aliquo, nec respiciat personam hominum,  
laudabant. Hæc enim causa erat odii,  
quo eum prosequabantur, quod abusus il-  
lorum tam liberè taxaverat. Sunt itaque  
foris Catones, intus Neronæ, blandiore-

sunt

sunt ore suo, quàm butyrum; molliores sunt sermones eorum oleo, & ipsi sunt gladii, Psal. 55. v. 21.

Eadem arte Rhabfaces cives Hierosolymitanos sollicitavit, ut dederent se Regi Assyriorum, 2. Reg. 18. v. 31. 32. nec non Holofernes, uterque dolose. Vide Judith. 3. v. 10. seqq.

Alia exempla nunc omittamus, quorum multa obvia sunt. Nam totus mundus positus est in maligno, 1. Joh. 5. 19. Beatus, qui in Deo confidit. Filii viri sunt mendacium, si ponderentur in staterâ, ipsi simul ipsa vanitate sunt leviores, Psal. 62. v. 10. Qui verò in Deo fiduciam posuerit, firmissima anchorâ innititur, non enim facit irrita, quæ processerunt de labiis ejus, Psal. 89. v. 35.

III. *Argutias.* Nam quid tibi videtur, inquit, licet ne Censum Cæsari dare aut non? Hoc rete illud est, quo non dubitant Christum capere.

Præceperat Deus in lege suâ, Exod. 30. v. 13. ut quilibet in populo Israhelico, si ad annum ætatis vigesimum pervenisset, dimidium sicli argentei, in templum afferret, quæ pecunia reponeretur in gazophylacium, & impendebatur ad ædificationem templi, & conservationem cultûs divini. Ubi verò Romanus Imperator Judæam haberet tributariam, inter alia onera complura Judæis, hoc etiam imposuit, ut siclum illum, qui erat quadrans Thaleri, non amplius in Templi gazophylacium, ut hæcenus fecerant, sed in ærarium Cæsaris reponerent. Hoc verò valdè mordebat Judæos. Alii Romanis hæc in parte obtemperandum non esse censebant: alii verò æquo animo ferendum opinabantur, quod

mutari non possit, siquidem vi externâ nihil quicquam adversus Romanos valeret. Inter hæc divortia sententiarum Christo eandem proponere volunt in forma dilemmatis, nec dubitant fore, quin Christus impingat. Quod si negativam ille amplecteretur, ipsum ut Rebellem apud Cæsarem accusaturi erant, qui populum prohibeat tributum Cæsari dare, ut in Passione calumniabantur, Luc. 23. v. 2. Sin affirmativam, apud populum eum tanquam proditorem Patriæ libertatis traduxissent, cui nihil tam exosum erat, quam censum Cæsari dare. Hinc rectè Jeremias: Inveni sunt in populo meo impii, insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros, Jer. 5. v. 26.

Ejusmodi laquei adhuc hodie piis struntur, partim in doctrinâ, partim in vitâ, ut non sine ratione quis exclamet cum Anthonio: O Domine, quis evadet? Verùm quando ad Christi opem confugimus, ut testimonia ejus consiliiarii nostri sint, Psal. 119. v. 24. filii hujus seculi cum omni suâ astutia nihil efficient, ut immortum maneat: Draco & Angeli ejus non valuerunt, Apoc. 12. v. 8. Nam dissipat cogitationes astutorum, ne possint implere manuseorum, quod cœperant, Job. 5. 12.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fluit  
 I. *Ex Christi veriloquentiâ.* Licet enim è corde hypocritico loquantur, attamen ipsissima veritas est, & accipimus nos hoc testimonium eorum ad solatium nostrum, cum in doctrinâ, tum in vitâ. In doctrinâ, quod ab omni errore immunes

nes sumus, si ipsum sequamur. Si manseritis in sermone meo, verè mei discipuli estis, Joh. 8. v. 32. In vità verò ne dubitemus de promissis ejus; quia rectum est verbum ejus, & omnia opera ejus in fide, Psal. 33. v. 4.

In hominibus parùm fidei reperitur, licet enim quicquam pollicentur, tamen convertuntur in arcum pravum, Psal. 78. v. 57. Verùm Christus est testis fidelis & verax, Apoc. 1. v. 5. seipsum abnegare non potest, 2. Tim. 2. v. 13. Luc. 21. v. 33. Num. 23. v. 29. Rom. 3. v. 4.

Exultate hinc fratres! fidelem etenim Servatorem habetis, & verbo ejus firmiter inniti potestis. Sicut igitur promisit, quod vos orphanos non derelicturus, Joh. 14. v. 18. sed vobiscum fururus sit omnibus diebus usque ad consumationem seculi, Matth. 28. v. 20. ut recepit, se excitaturum vos, die novissimo, Joh. 6. v. 54. & daturum vitam aeternam, Joh. 10. v. 28. sic omnia hæc certissimè implebit, ut cum Josua dicere poteritis: De omnibus bonis, quæ se Dominus præstiturum nobis pollicitus est, unum non præterit incassum, Jos. 23. v. 14.

II. Ex Christi omniscientia. Non enim ipsum fugiunt insidiæ horum, sed statim cognoscit nequitiam illorum, inquiens: Quid me tentatis hypocritæ? Hinc patet, quod sit *κατανοήτων*, Act. 1. v. 24. qui omnia scit, Joh. 16. v. 30. cujusque cor inspiciens an sincerum an dolosum sit, ideò ait ad Nathanaëlem: Ecce, verè Israëlita, in quo dolus non est, Joh. 1. v. 47.

Hoc divinum *ἰδιώμα* est, quod restatur, Servatorem nostrum non nudum hominem: sed Deum esse, super omnia bene-

dictum in seculum, Rom. 9. v. 5. De Prophetis quidem novimus, quod & ipsi absentia & abscondita noverint, ut perspicitur in Samuele, 1. Sam. 9. v. 19. Elisa, 2. Reg. 6. v. 12. aliisque.

At hac virtute non à seipsis polluerunt, sed ex divina revelatione, *περὸ μυστοῦ καρδίας αὐτοῦ πνεύματος*, 2. Petr. 1. v. 21. ideoque hæc notitia non universalis fuit, sed quantum ipsis Deus revelavit, tantum cognoverunt, siquidem Elisa ipse fatetur, se mortem filii, hospitis suæ ignorasse: Dominus, inquit, celavit à me, & non indicavit mihi, 2. Reg. 4. v. 27. Sed cum Christo multò aliter comparatum est. Est enim receptaculum Divinitatis & Sapientiæ, ut Epiphanius loquitur, Col. 2. v. 3.

Hoc in nostrum vergat solatium.

O quoties fit, ut hostes astuta consilia in-  
eant, quomodo piis incommodare velint. At Dominus ipsis acclamat: Inite consilium & dissipabitur, loquimini verbum, & non fiet, Esa. 8. v. 10.

Herodes putabat, se certo certius Regem Judæorum recens natum extirpaturum, ideò omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in ejus sinibus, à bimatu & infra occidit: Verùm Deus per Angelum jam ante Josephum admonuerat, ut cum puero in Ægyptum aufugisset, Matth. 2. v. 16.

Ita hodie tenus pios suos contrà hostium machinationes & truculentiam tuetur:

Magnas agant astutias,

Vadit Deus vias suas

Manu sua retractans.

Breviter: Perstat illud Esaiæ: Mirabile fecit consilium, & magnificavit sapientiam, c. 28. v. ult.

III. Ex

III. Ex hostium confusione & erubescantia, hinc Evangelista: Et audientes, mirati sunt, & relicto eo, abierunt.

Verè enim Salomo: Frustrà jactur rete ante oculos pennatorum, Prov. 1. v. 17. Ut enim volucres non advolant, quando rete explicari vident: Sic nec Servatoris oculis perspicacissimis astutæ hostium suorum machinæ abstruse erant: sunt enim multò plus lucidiores ipso Sole: & vident omnia quæ homines agunt, Sir. 23. v. 28. idèd laqueis suis ipsum irretire non potuerunt: sed ipsi in operibus manuum suarum comprehensi sunt, Psal. 9. v. 17. & in foveam inciderunt, quam Domino foderant, Prov. 26. v. 27.

Hoc ita praludium fuit victoriæ gloriosissimæ, quam deinde Christus in Passione suâ reportavit: ubi quidem insidias serpentis, calcaneo structas expertus est: sed caput ejus contrivit, Gen. 3. v. 15. & victos tuos emisit de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11.

Sapores Valerianum Imperatorem, infensissimum Christianorum hostem scabellum pedum adhibuit, & Christianos ab ejus tyrannide liberavit.

Tamerlanes Rex Tartarorum, Bajazetem Turcarum Imperatorem, sanguinarium Tyrannum, in caveâ ferreâ circumduxit.

Sic & Christus peccatum, mortem, Diabolum & infernum in Passione sua sibi subjugavit, & scabellum pedum constituit, hinc metu eorum soluti, cum Paulo præclarum illud *ὁμιλιον* insonare possumus: Ubi est mors stimulus tuus? Ubi tua inferne, victoria? 1. Cor. 15. v. 55. Propter nos enim mortuus est, propter nos resur-

rexit, propter nos in cælum ascendit, & de cælo redibit, ut fideles suos in habitatione pacis introducat, Esa. 32. v. 17. ubi cum Christo regnabunt mille annos, i. e. in æternum, Apoc. 20. v. 4.

De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Veritati stude*. Pharisei & Scribæ in Christum odio acerrimo flagrant, attamen testimonium ipsi vel Inviti impertiri coguntur, quod verax sit.

Nos quoque operam demus, ut hoc elogium reportemus. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, ait David, Psal. 15. v. 4.

Hæc ejusmodi virtus est, quâ tota S. S. Trinitas delectatur. Deus Pater, est Deus veritatis, Psal. 31. v. 6. qui veritatem custodit in seculum, Psal. 146. v. 6. Impossibile enim est, eum mentiri, Hebr. 6. v. 18.

Deus Filius est veritas ipsa, Joh. 14. v. 5. qui idèd in mundum venit, ut testimonium perhibeat veritati, Joh. 18. v. 37. Esa. 45. v. 23.

Deus Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, Joh. 16. v. 26. ejusque verbum per quod gignit nos voluntariè, ut simus primitiæ creaturarum ejus, est verbum veritatis, Jac. 1. v. 18.

Quod si igitur aliquando societatem habituri sumus, cum Patre, Filio & Spiritu sancto, 1. Joh. 1. v. 3. veritati studeamus oportet, quæ sola homines Deo proximos

facit, ut Pythagoras dixit. Hinc Zach. 8.  
v. 16. Eph. 4. v. 25.

Fiat hoc

1. *In Choro.* Ecclesia enim est civitas  
veritatis, Zach. 8. v. 3. idè æquum est, ut  
quos speculatores ejus Deus constituit,  
Ezech. 3. v. 17. veritati studeant, cum Da-  
vide orantes: Emitte lucem tuam, & ve-  
ritatem tuam, ipsa me deducant in mon-  
tem sanctum tuum, Psal. 43. v. 3. 2. Cor. 13.  
v. 8. Sir. 4. v. 33.

2. *In Foro.* Pulcherrimum enim orna-  
mentum est, quando in Magistratu con-  
stituti juxta justitiam & veritati student, &  
id sanctè observant, quod polliciti sunt.  
*Esti veritas toto mundo exulet, apud Imperato-  
rem consistere debet,* dixit Imperator Caro-  
lus V. cum in Comitibus Ratisbonensibus  
quidam ipsi autores essent, ne salvum con-  
ductum Luthero promissum servaret.

3. *In Toro.* Nam in Jesu Christo veri-  
tas, Eph. 4. v. 21. nemo proindè defraudet  
proximum injusta ulna, mensura & ponde-  
re: sed trutinam veritatis cordi appendat,  
& quæ vult, ut faciant sibi homines, eadem  
& illis faciat, Matth. 7. v. 12. Imprimis  
verò promissa incorruptè servet, nisi ver-  
bum Dei & conscientia obsint. Nam la-  
bium veritatis firmum manet in perpetu-  
um, Prov. 21. v. 19.

II. *Fide, sed cui, vide.* Hic Pharisæi ver-  
bis lenocinantibus & ad gratiam compa-  
ratis utuntur: cor autem eorum felle in-  
fectum est, quò eò liberius Christus animi  
sensa proferat, & in discrimen adducatur.  
Sed Christus ipsis non fidet, sed ait: Quid  
me tentatis, hypocritæ!

Sic adhuc multæ sunt insidiæ dolosi,

Sir. 11. v. 32. idè opera navanda est, ut ser-  
pentinus oculus, sit in columbino corde,  
Matth. 10. v. 10.

Cato sapiens ille Ethnicus filium suum  
ita instruit:

Qui simulat verbis, nec corde est fidas  
amicus,

Tu quoque fac simile, sic ars desudatur  
arte,

Id est vulpinari cum vulpibus. Verum id  
verbum Dei non docet nos: sed quando  
astutias in proximo animadvertimus, idè  
eum verbis blandis reprehendamus, sicut  
Saulen David, 1. Sam. 24. v. 13. interea  
sinceritati studentes, ut beneficientes ob-  
mutescere faciamus, insipientium homi-  
num ignorantiam, 1. Petr. 2. v. 15.

Exempla sinceritatis sunt Jacob, ideo-  
que Deo commendatus, Genes. 25. v. 27.  
Jobus, quem Deus ipse hoc encomio ma-  
ndat, quod fuerit simplex, & rectus, ac ti-  
mens Deum & recedens à malo. Super  
quo Beda scribit: Simplex per innocen-  
tiam mansuetudinis, rectus per cautelam  
discretionis: simplex, quia nullum læ-  
dere, omnibus vero prodesse desiderabat,  
rectus, quia se à nullo corrumpi permette-  
bat, Job. 1. v. 1.

David, hinc ait, 1. Chron. 30. v. 17. &  
Psal. 25. v. 21. orat:

Simplicitas rectumque tuum, me Chri-  
ste, gubernet.

Horum vestigijs insistamus, nec inter illos  
simus, de quibus David ait: In corde &  
corde locuti sunt, Psal. 12. v. 3. Nam  
qui operit odium fraudulenter, revelabi-  
tur malitia ejus in cætu, Proverb. 26.  
v. 26.

Impri-

Imprimis verò caveamus nobis à subdolis illis, ne ab ipsis decipiamur. Siracides ait: Fauces contingunt cibum feræ, & cor intelligens verba mendacia, c. 36. v. 21.

Hoc & nos facientes, probemus Spiritus, 1. Joh. 4. v. 11. Indicia manifestat Salomo, Prov. 6. v. 13. 14. quæ quando in hoc vel illo perspicimus, caveamus: si enim invenerit tempus malefaciendi, malefaciet, Sir. 19. v. 25.

Maximè verò à commercio eorum abstinemus, ubi necessitas non flagitat: Ab impiis enim egredietur impietas, 1. Sam. 24. v. 14. quin & verba nostra in libra examinando ponderemus, ne in illis nos capiant, Sir. 28. v. 29. c. 27. v. 26.

III. *Iustitiam cole.* Cum ipsi numisma offerrent, in quâ imago Cæsaris impressa erat, quærit ex illis: Cujus est hæc imago & inscriptio? respondebant illi: Cæsaris, Rectè ait Servator, respondistis. Quia igitur utimini monetâ, Cæsaris inscriptionem habente, hoc ipso Cæsari vos subjectos esse, agnoscitis, ideoque nec censum ei denegabit. Date ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei.

Hic ergò debitum nostrum observandum,

1. *Ergà Magistratum terrestrem,* quem Christus primo loco ponit, non quod illum supra Deum evehere velit: firmum enim manet effatum Petri: Deo magis obediendum, quàm hominibus, Act. 5. v. 29. Quod verò primò mentionem Cæsaris facit, ideo fit, quia legati de Cæsare ejusque censu quæsi verant, ideo res ipsa postulabat, ut ipsis responsionem redderet. Ubi notanda,

1. *Imperativi consideratio.* Date Cæsari. Hinc nemo se excludere potest, Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, ait Paulus, Rom. 13. v. 1.

2. *Specificæ declaratio,* cui dandum, nempe Cæsari, qui tùm erat Tiberius: intelligitur autem sub hoc nomine quilibet Magistratus, sive excelsus sit sive humilis, fidelis, aut infidelis, clemens aut tyrannicus. Deus enim quandoque Regem in ira suâ largitur, 1. Sam. 8. v. 6. seqq. à cujus subjectione tamen subditi nullatenus excluduntur, 1. Petr. 2. v. 18. Jer. 27. v. 7.

3. *Necessaria limitatio,* quam Servator exprimit, inquit: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Cæsaris sunt, quæ Deus ipsi permisit & destinavit, nempe: *Denarius internus,* amoris & reverentiæ, ut Christiani subditi Magistratum ordinarium diligant, timeant & honorent, & ex amore, timore & reverentia ei obedientiam præstent. Nam qui timent Dominum, Rector illorum in honore, Sir. 10. v. 24. Deindè *Denarius externus,* census & tributi. Hoc enim judicium Regis, 1. Sam. 8. v. 11. ut ei largiaris, quæ ad sustentationem ejus pertinent, Rom. 13. v. 2.

At conscientia Magistratus imperare nequit, ideo hinc cavendum est, ne illam quoque Magistratu prostituas, & Deum ad iram provoces. Cæsari debeo militiam; dixit Dux Mauritius, Deo Conscientiam. Si peccaverit vir in virum, tum judicant Dii: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Sam. 2. v. 25.

2. *Ergà Magistratum caelestem.* Date, ait Christus, Deo, quæ sunt Dei. Hoc pal-

palmarium est. Ipse enim Rex Regum, & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. qui nos principio ad imaginem suam creavit, Gen. 1. v. 27. & per Christum, postquam per peccata amissa est, Luc. 15. v. 9. in nobis eam reparavit, 2. Cor. 3. v. 18.

Quando aliàs Imperator, vel alius terrenus Princeps cuilibet imaginem suam donat, id pro peculiari gratiæ indicio habetur: Quamò magis nostrum erit, grato animo agnoscere, quod Rex cæli non modo imaginem suam exteriùs nobis appendit: sed cordi indidit, ut genus ejus simus, Act. 17. v. 18. & indes divinæ naturæ confortes efficiamur, 2. Petr. 1. v. 4.

Sicut igitur imago Cæsaris, quam Judæorum numisma præsentabat, indicium erat Judaicæ subjectionis: Et nos imaginem Dei, quam animæ nostræ impressit, ita geramus, ut nos ad cultum & reverentiam ergà Deum instiget.

Christus quærit: Cujus est imago & superscriptio? Ita memineris velim, mi Christiane! te anima præditum esse immortali, & te ipsum quære: Cujus est imago & superscriptio? Nonne imago Creatoris tui? Nonne imago Redemptoris tui? Nonne imago Sanctificatoris tui? Utiq; imago Dei Creatoris tui, ipse enim fecit te, & non tu ipse te, Psal. 100. v. 2. Utiq; imago Dei Redemptoris tui, pretio enim emit te magno, 1. Cor. 6. v. 20. Utiq; imago Dei Sanctificatoris tui, qui in te operatur & velle & perficere, Phil. 2. v. 13. Da igitur Creatori, Redemptori & Sanctificatori tuo, quo illi obstringeris.

Debes ipsi cor tuum, da ei hoc, cum Regio Psalte orans: In unicum hoc dirige cor

meum, ut timeat nomen tuum, Psal. 86. v. 11.

Da illi linguam tuam, Eph. 5. v. 4. Psal. 19. v. 17. Phil. 4. v. 8. Matth. 12. v. 36.

Da illi aure tuas, Prov. 1. v. 11. Psal. 126. v. 7. Sir. 3. v. 31.

Da illi oculos tuos, Sir. 9. v. 5. 6. seqq. Psal. 121. v. 1. Psal. 25. v. 16. seqq.

Da illi manus tuas, 1. Thess. 4. v. 6. Eph. 4. v. 28.

Da illi pedes tuos, Prov. 1. v. 16. Psal. 119. v. 1. Prov. 16. v. 13.

Debes illi animam & corpus & omnes interiores & exteriores facultates, totum te ergò ipsi consecra dicens: Domine Jesu, tibi vivo, tibi morior, sum tuus vivus & mortuus. Ipse est Creator tuus, tu veritas ejus; Ipse Redemptor tuus, tu mancipium ejus; Ipse Sanctificator tuus, tu famulus ejus. Ergo servi ei, ama eum, cole, & time eum: sic te vicissim ut servum suum alet, defendet, sustentabit, hic temporaliter, omni necessitate, quoad corpus & animam, & aliquando lætabili hæc voce compellabit: Euge bone serve, Matth. 25. v. 23.

Moneta nullibi in majori pretio, quam ubi impressa est: Ita anima nostra à Deo est, qui eam primitus Adamo inspiravit, Gen. 2. v. 7. hanc igitur Deo fideliter commendemus, & ille eandem velut bonum depositum servabit in diem illum, 2. Tim. 1. v. 12. adsumpturus in manum suam, ubi non tanget illam tormentum mortis, Sap. 3. vers. 1. Id quod nobis Deus ex gratia largiri dignetur per Christum, Amen.

